



Universitätsbibliothek Paderborn

**TRACTATVS|| DE CON-||FESSIONIBVS MA=||LEFICORVM ET
SAGA-||RVM SECVNDÒ RECOGNI||tus, & auctior redditus.||
An, & quanta fides ijs adhibenda sit?||**

Binsfeld, Peter

Avgvstae Trevirorvm

VD16 B 5530

Prima Conclusio. Futura, si in seipsis considerentur, à nullo, præterquam à solo Deo, cognosci possunt.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41113

mirabilia ab eis fieri, vt bonitalia parui pen-
dant, in quibus se videntè damnatis & miseris
superari. Et mali proficiant in peius errantes &
in errorem mittentes, occulto Dei iudicio, ta-
men iusto. Vnde valde stultum est desiderare
facere mirabilia, vel præscire futura, & quasi
magna hæc reputare, cùm inimicos Dei, in his
videamus abundare.

Nunc videndum est, an Dæmones præscientiam
habeant futurorum & secretorum, ita vt ex eorum re-
uelatione homo possit prognosticare & occultacognosce-
re? Dubium esse potest de futuris contingen-
tibus, cordium cogitationibus, & rebus oc-
cultis latētibus, vt sunt furtæ occultissima, de-
perdita, & thesauri in visceribus terræ abscon-
diti. Ut rectius & distinctius proposita diffi-
cultas resoluatur, aliquæ Conclusiones sunt
ponendæ. De hac materia legendi sunt Docto-
res in 2. sent. d. 7. S. Thom. lib. 3. contra Gentes,
cap. 147. S. Augustin. in lib. de diuinatione seu
natura Dæmonum, tom. 3. Alexand. Halens. 2.
part. q. 26. membr. 4. Decretistæ in can. Scien-
dum, cum textu 26. q. 4.

Prima Conclusio. *Futura, si in seipsis
considerentur, à nullo, præterquam à sola
Deo, cognosci possunt.*

CONCLUSIO est de fide. Probatur: Præ-
dicere res futuras, signum diuinitatis est,
vt ex

ut ex locis sacræ Scripturæ probatur. Isaïæ 41.
Annunciate, quæ ventura sunt in futurum, &
 sciemus: quia Dij estis vos. & 45. suam pro-
 phetiam diuinam esse probat. Hæc dicit Do-
 minus sanctus Israël, plastes eius: ventura in-
 terrogate me. Sap. 8. Signa & monstra scit, an-
 tequam fiant, & euentus temporum & secu-
 lorum.

*Secunda Conclusio. Futura in seipsis
 Dæmones nequaquam cognoscere possunt,
 nisi ab Angelis boni eis reuelentur, ut di-
 catum est.*

CONSTAT ex prima Conclusione. *Futura*
 enim sic prædicere, spectat ad Deum: Er-
 gò non competit Dæmonibus. Et sic Dæmo-
 nes quando prædicunt huiusmodi futura cō-
 tingentia, fallunt & mentiuntur. Sic 3. Reg. 22.
 cap. Prophetæ Baal mentiti sunt Achab Regi
 Israël. Aliquando etiam prædicunt Dæmones
 futura, quæ ipsi facturi sunt. Aliquando intel-
 ligunt etiam ab alijs hominibus, quæ facere
 intendunt, & suis magis vel maleficis, quinec
 rei cognitionem habent, prædicunt. Sic cui-
 dam Annæ ex S. Medardo sub iurisdictione
 Monasterij S. Matthiæ, extra muros Treuren-
 ses, quæ mortis sententiam & executionem re-
 cepit Anno Domini 1590. II. Augusti, compre-
 hensionem suam, & incinerationem futuram

præ-